


## In festo deditiois nominatissimae urbis Granatae

En la fiesta de la entrega de la famosísima ciudad de Granada



Es éste un documento de singular importancia desde el punto de vista histórico y musicológico. Además, posee un evidente interés literario.

El religioso jerónimo Fr. Hernando de Talavera, confesor y consejero de Isabel la Católica, compuso esta pieza litúrgica inmediatamente después de la conquista de Granada (enero de 1492). Se trata de una adaptación de textos litúrgicos y bíblicos y de melodías gregorianas.

El interesado puede profundizar sobre la materia consultando dos obras de la Dra. Julieta Vega García-Ferrer: *Isabel la Católica y Granada. La Misa y el Oficio de Fray Hernando de Talavera*, Granada, 2004; y también *Fray Hernando de Talavera y Granada*, Granada, 2007.

En ambas obras se recoge la aportación con la que tuve el gusto de colaborar con la Dra. Vega: fijación del texto latino, traducción y determinación de las fuentes textuales (fundamentalmente bíblicas).

Para la fijación del texto latino seguí fundamentalmente el llamado *manuscrito de Simancas*, cotejado con los cantorales de Santa Fe, de los que se ocupan ampliamente las dos obras citadas.

En lo tocante a la traducción, adelanto que la he planteado con un criterio estrictamente literal. Se trata de alejarse lo menos posible del dechado latino. No siempre es fácil.

(Se resaltan en cursiva las abreviaturas y las inserciones).

**In festo deditiois nominatissimae  
urbis Granatae.**

**Ad vespéros.**

**Antiphona.**

Sollemnem agamus diem in qua Deus Pater omnipotens fastigium inimicorum Filii sui posuit scabellum pedum eius.

**Psalmus [CIX].**

*Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis  
donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

**Antiphona.**

Confiteamur Domino, et magnificemus opera eius qui hac sacra die dedit populo suo hereditatem gentium, et fecit redemptionem plurimorum captivorum.

**Psalmus. [CX]**

*Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo in consilio iustorum et congregatione .  
Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.*

**Antiphona.**

In memoria aeterna erit Fernandus rex cum regina Elisabeth<sup>1</sup>; quia sua opera et labore dedit hodie Dominus populo Christiano<sup>2</sup> gloriam et divitias<sup>3</sup> Agarenorum.

**Psalmus. [CXI]**

*Beatus vir qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis.  
Potens in terra erit semen eius; generatio rectorum benedicetur.*

**Antiphona.**

A solis ortu usque ad occasum laudetur nomen Domini, qui Granatam fidei operibus sterilem matrem fecit multarum ecclesiarum laetantem.

**Psalmus. [CXII]**

*Laudate, pueri, Dominum; laudate nomen Domini.  
Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum.*

**Antiphona.**

Omnes populi Hispaniarum laudate Dominum, quia confirmavit hodie super vos misericordiam suam, finem imponens antiquo peccato.

**Psalmus. [CXVI]**

*Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.  
Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in aeternum.*

---

<sup>1</sup>helisabeth.

<sup>2</sup>xpriano.

<sup>3</sup>divicias.

**Capitulum.** Lauda, sterilis, quae non paris; decanta laudem et hinni<sup>4</sup>, quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habebat virum, dicit Dominus. Deo gratias.

**Hymnus.**

Pange, lingua, voce alta  
triumphi praeconium.  
Laudes Deo semper canta,  
conditori omnium  
qui, edomita Granata,  
bellis dedit somnium.

Dedit quippe pacem plenam  
populis Hispaniae;  
dedit autem malam cenam  
Mahumeti insaniae  
qui illusit Sarracenam  
gentem et Arabiae.

Personarum Trinitatem  
diffitetur impius,  
et sumpsisse humanitatem  
Deum negat inscius;  
tollit fidei pietatem  
multis aliis nescius.

Deum Patrem nos laudemus  
atque Sanctum Spiritum;  
verbum quoque adoremus  
vere carni insitum;  
et uterum honoremus  
quo fuit nobis editum. Amen.

**Versiculum.**

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

**Responsorium.**

Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

**Antiphona (Ad magnificat).**

Magnificemus Dominum, quia, respiciens humilitatem servorum suorum, Principum Christianissimorum<sup>5</sup>, dedit hodie in manus eorum urbem Granatam, robur et fortitudinem Agarenorum.

**Oratio**

Omnipotens, sempiterna Deus, qui dedisti famulis tuis per fidem regna vincere et munitiones superare, da nobis, quaesumus, te semper fide colere, et quae fidei sunt per dilectionem operari. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

---

<sup>4</sup>hyni.

<sup>5</sup>xanissimorum.

**Ad matutinum.****Invitatorium. (Psalmus XCIV)**

Regem triumphatorem *Dominum*, venite, adoremus.  
*Venite, exsultemus Domino;*  
*iubilemus Deo salutari nostro;*  
*praeoccupemus faciem eius in confessione,*  
*et in psalmis iubilemus ei.*  
*Quoniam Deus magnus Dominus,*  
*et Rex magnus super omnes deos;*  
*quoniam non repellet Dominus plebem suam;*  
*quia in manu eius sunt omnes fines terrae,*  
*et altitudines montium ipse conspicit.*  
*Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud,*  
*et aridam fundaverunt manus eius.*  
*Venite, adoremus et procidamus ante Deum;*  
*ploremus coram Domino, qui fecit nos,*  
*quia ipse est Dominus Deus noster;*  
*nos autem populus eius et oves pascuae eius.*  
*Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,*  
*sicut in exacerbatione secundum diem temptationis in deserto,*  
*ubi temptaverunt me patres vestri,*  
*probaverunt et viderunt opera mea.*  
*Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi:*  
*semper hi errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas;*  
*quibus iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam!*  
*Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto;*  
*sicut erat in principio, et nunc et semper*  
*et in saecula saeculorum. Amen.*

**Hymnus.**

Sacris sollemniis  
 juncta sint gaudia,  
 et ex praecordiis  
 sonent praeconia.  
 Recedant vetera,  
 nova sint omnia:  
 corda, voces et opera.  
 Dies recolitur  
 qua urbs fortissima  
 de manu tollitur  
 Afra, saevissima:  
 datur principibus  
 fide rectissima

Trinum Deum colentibus<sup>6</sup>.

Post tempus plurimum  
quo fuit Hispania  
correpta arabum  
fera vesania:  
tandem vult Dominus  
ut haec insania  
vires deperdat protinus.

Et ibi rutillet  
fides catholica;  
Deoque iubilet  
plebs apostolica:  
ubi tanto opere  
fraus diabolica  
longo regnavit tempore.

Te, trina Deitas  
unaque, poscimus:  
sic tu nos visitas  
sicut te colimus;  
per tuas semitas  
duc nos quo tendimus:  
ad lucem quam inhabitas. Amen.

### In primo nocturno.

#### **Antiphona.**

Beatus rex Fernandus cum regina Elisabeth<sup>7</sup> quorum voluntas concors semper fuit in lege Domini.

#### **Psalmus. [CXI]**

Beatus vir *qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis.*  
*Potens in terra erit semen eius; generatio rectorum benedicetur.*

#### **Antiphona.**

Subiecisti, Domine, sub pedibus eorum oppida universa et munitiones<sup>8</sup> ad quas tandem confugerat feritas Agarenorum.

#### **Psalmus. [VIII]**

Domine, Dominus noster, *quam admirabile est nomen tuum in universa terra,*  
*quoniam elevata est magnificentia tua super caelos.*

#### **Antiphona.**

Quoniam rex et regina speraverunt in te, Domine, manus tua inventa est omnibus inimicis suis.

#### **Psalmus. [XX]**

Domine, in virtute tua *laetabitur rex et super salutare tuum exultabit vehementer.*

---

<sup>6</sup>collentibus.

<sup>7</sup>Helisabeth.

<sup>8</sup>munitiones.

**Versiculum.**

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

**Responsorium.**

Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

**Sermo in festo deditiois nominatissimae urbis Granatae.****Lectio I<sup>a</sup>**

Adest nobis, dilectissimi fratres, dies sollemnis et praeclara; dies gaudii et exultationis; dies laetitiae<sup>9</sup> et jubilationis, dies boni nuntii, in quo, si tacuerimus, sceleris arguemur. Dies venerabilis, dies sanctus Domini, dies celeberrimus, dies nobis celebrior et sanctior<sup>10</sup> universis, quia dies miserationis Domini; dies quam optaverunt et expectaverunt patres nostri, nec viderunt. Nostri autem beati oculi, qui eam videre meruerunt. Dies quae facta est quasi duo. Et dies una: melior super milia<sup>11</sup>; Dies quam fecit Dominus ut exultemus<sup>12</sup> et laetemur in ea. Dies videlicet<sup>13</sup> in qua fidei catholicae subicitur<sup>14</sup>; in qua Christianae religioni acquiritur; et in qua Hispaniarum imperio restituitur, civitas Granata. Civitas fortissima, firma pontibus et muris circumsepta. Civitas potentissima. Civitas refugii et optimae habitationis. Civitas plena deliciis. Civitas feracissima. Civitas inclita. Civitas gloriosa. In toto terrarum orbe merito nominatissima. Domina gentium, et princeps provinciarum. Urbs perfecti decoris. Gaudium et superbia Agarenorum. Caput et fastigium Mahumeticae insaniae in partibus Hispanorum. **Tu autem, Domine, miserere nobis.**

**Responsorium.**

Hodie nobis de caelo pax vera descendit. Hodie per totam Hispaniam melliflui facti sunt caeli.

**Versiculum.**

Hodie illuxit nobis dies redemptionis nostrae, reparationis antiquae, felicitatis optatae. Hodie per totam Hispaniam melliflui facti sunt caeli.

**Lectio II<sup>a</sup>.**

Restituitur, inquam, opera et labore, animo et robore, industria et sudore optimi Ferdinandi regis Hispaniarum, huius nominis quinti, regis serenissimi ac praeclari, qui, velut alter Iosue proelians proelia Domini, brevi tempore (decem videlicet fastis ac felicibus annis) totam promissionis terram, hoc est, totum Granatae regnum (illi provinciae laudatissimae

---

<sup>9</sup>leticie.

<sup>10</sup>sancior.

<sup>11</sup>millia.

<sup>12</sup>exultemus.

<sup>13</sup>vidicet.

<sup>14</sup>subiicitur.

nullatenus dispar: a civitate Gausin usque ad civitatem Vera), indefesso labore et continuato certamine, eo etiam tempore quo reges non solent ad bella procedere, sed magis a bellis et ab obsidionibus cessare, strenue recuperavit. Dexteram enim eius, haud aliter quam dexteram Cyri regis, ipse Deus summus apprehendit, et dorsa regum ante faciem eius vertit. Ianuas munitissimarum urbium coram eo aperuit. Et portas fortissimarum civitatum illi non clausit. Ipse enim immortalis Deus ivit ante eum, et gloriosos terrae illi humiliavit; portas aereas contrivit, et vectes ferreos confregit; et dedit illi thesauros absconditos et arcana<sup>15</sup> secretorum. **Tu autem, Domine, miserere nobis.**

### **Responsorium.**

Ego te tuli<sup>16</sup> de domo patris tui, dicit Dominus, et posui te pascere gregem populi mei. Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti.

### **Versiculum**

Fecique tibi nomen grande iuxta<sup>17</sup> nomen magnorum qui sunt in terra; et requiem dedi tibi ab omnibus inimicis tuis. Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti.

### **Lectio. III<sup>a</sup>.**

Restituitur etiam opera, consilio et industria Serenissimae Reginae Elisabeth<sup>18</sup>, quae talem ex milibus<sup>19</sup> elegit sibi virum, cuius pretium procul et de ultimis finibus. Quae quondam futurorum praesagio dicta est Elisabeth<sup>20</sup>, quoniam septima extitit inter feminas quae in regnis Hispaniarum iure optimo successerunt. Ac septem donata Spiritus Sancti muneribus, prae omnibus nostri temporis mulieribus. Nostra enim tempestate non fuit talis mulier super terram in aspectu et pulchritudine, et in sensu verborum (absque eo quod intrinsecus latet). Pulchra quidem facie, sed pulchrior fide, et spe et charitate omnique virtute. Quae, velut altera sapientissima Debhora<sup>21</sup>, suo consilio, suo obsequio et subsidio, per manus optimi Barach, clarissimi viri sui, infideles reges Sisaram et Iabim, caeterosque fidei hostes debellavit atque prostravit. Et velut altera venustissima, religiosissima ac honestissima Iudith<sup>22</sup>, suo consilio, suisque precibus ad Dominum fuis, suisque sacrificiis Deo indesinenter oblatis, cum abra sua, hoc est, cum ieiuniis et orationibus assiduis ancillarum suarum intra aulam suam, immortalem Deum (cuius est victoria) iugiter deprecantium, per fortissimas manus invictissimi viri sui regnum suum necdum conservavit, sed etiam reintegravit. Ipsa igitur gloria Hispanorum,

---

<sup>15</sup>archana.

<sup>16</sup>tulli.

<sup>17</sup>iusta.

<sup>18</sup>Helisabet.

<sup>19</sup>millibus.

<sup>20</sup>Helisabet.

<sup>21</sup>delbora.

<sup>22</sup>iudich

laetitia<sup>23</sup> Iberorum<sup>24</sup>, honorificentia<sup>25</sup> Hesperorum, *benedicta sit in aeternum. Tu autem, Domine, miserere nobis.*

**Responsorium.**

Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum<sup>26</sup> redegit inimicos *nostros*; ut non deficiat laus tua de ore hominum.

**Versiculum.**

Benedictus Dominus *qui creavit caelum et terram*, qui hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non deficiat *laus tua de ore hominum*.

Gloria Patri *et Filio et Spiritui Sancto*.

Ut non deficiat *laus tua de ore hominum*.

**In IIº Nocturno. Antiphonae.**

(Este fragmento -desde *Nos populi* hasta *virtutes tuas*- aparece anulado por el copista -“*vacat*”-, que lo marca con una línea vertical, en cuyo extremo superior se lee *va* y en el inferior *cat*.)

**Antiphona.**

Nos populi Domini et oves pascuae eius confiteamur illi in saecula.

**Psalmus**

Deus, venerunt gentes *in hereditatem tuam*; *polluerunt templum sanctum tuum*: *posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam*.

**Versiculum**

Cantemus Domino Deo *nostro* quia fecit *nostro* tempore regibus Agarenorum sicut Madiam et Sisarae sicut Iabin in torrente Cisson<sup>27</sup>.

**Psalmus. [LXXXII]**

Deus, quis similis erit tibi? *Ne taceas neque compescaris, Deus, quoniam ecce inimici tui sonaverunt et qui oderunt te extulerunt caput*.

**Antiphona**

Laudemus Deum *nostrum*, quia factus est nobis in refugium et in adiutorium spei *nostrae*.

**Psalmus. [XCIII]**

Deus ultionum, Dominus Deus ultionum libere egit; exaltare qui iudicas terram; redde retributionem superbis.

**Versiculum.**

Exaltare, Domine, in virtute tua.

**Responsorium.**

Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

---

<sup>23</sup>Leticia.

<sup>24</sup>iberorum.

<sup>25</sup>honorificentia.

<sup>26</sup>nichilum.

<sup>27</sup>scison.



**Aliae antiphonae.**

**Antiphona.**

Posuit hodie Dominus prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae.

**Psalmus. [XLV]**

Deus *noster*, *refugium* et *virtus*, adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis: propterea non timebimus dum turbabitur terra et transferentur montes in cor maris.

**Antiphona.**

Cantemus *Domino* Deo *nostro* quia fecit *nostro* tempore regibus Agarenorum sicut Madiam et Sisarae sicut Iabin in torrente Cisson<sup>28</sup>.

**Psalmus. [LXXXII]**

Deus, quis similis erit tibi? *Ne taceas neque compescaris, Deus, quoniam ecce inimici tui sonaverunt et qui oderunt te extulerunt caput.*

**Antiphona.**

Laudemus Deum *nostrum*, quia factus est nobis in *refugium* et in *adiutorium spei nostrae*.

**Psalmus. [XCIII]**

Deus ultionum, Dominus Deus ultionum libere egit; exaltare qui iudicas terram; redde retributionem superbis.

**Versiculum.**

Exaltare, Domine, in virtute tua.

**Responsorium.**

Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

**Lectio IV<sup>a</sup>**

Sed<sup>29</sup> quamvis hoc opus tam arduum, *tam* pium *tamque* religiosum *atque* gloriosum, et a *nostris* tantopere tantoque tempore desideratum, maxima industria, et optimo *atque* indefesso labore horum serenissimorum principum fuerit consumatum, praecipue tamen huius *beatae atque iucundissimae* consumationis vidimus *finem* divina favente clementia<sup>30</sup>, divina adiuvante providentia<sup>31</sup>, divina aspirante omnipotentia<sup>32</sup>: cuius est regna mutare, imperia curvare, potentes de sede deponere, et principes humiles in eum confidentes erigere et exaltare. Adjuvit enim eos quia in misericordia Dei, et *non* in arcu<sup>33</sup> suo speraverunt. Favet eos quia *non* in curribus et in equis (ut fidei hostes), sed in nomine Domini invocaverunt. Concessit illis victoria quoniam *non*

---

<sup>28</sup>Scison.

<sup>29</sup>Set.

<sup>30</sup>clemencia.

<sup>31</sup>providencia.

<sup>32</sup>omnipotentia.

<sup>33</sup>archu.

de viribus suis nec de gladio suo, sed de caelo illam spectaverunt. Ipse enim percusserat et ipse sanavit. **Tu autem, Domine, miserere nobis.**

**Responsorium.**

Cantemus Domino gloriose; enim operatus est cuius auxilio et favore: civitas Granata in manus *Christianorum*<sup>34</sup> hodie data est.

**Versiculum.**

Civitas munitissima, arx et praesidium *Sarracenorum*, in manus *Christianorum hodie data est.*.

**Lectio V<sup>a</sup>.**

Percussit, inquam, Dominus totam *Hispaniam* propter scelus regis Roderici. Intraverunt namque Arabes, et, velut apri quidam silvestres, vastaverunt et exterminaverunt *Hispaniam*; et, velut singulares feri, depasti sunt eam. Polluerunt templa sancta. Posuerunt morticina *chistianorum*<sup>35</sup> escas volatilibus caeli; carnes sanctorum bestiis terrae. Effuderunt sanguinem innocentem tamquam<sup>36</sup> aquam per totam *Hispaniam*. Populum *chistianum*<sup>37</sup> humiliaverunt, et hereditatem *Christi*<sup>38</sup> vexaverunt. Viduam et advenam interfecerunt et pupillos occiderunt. Mulieres humiliaverunt et virgines stuprati<sup>39</sup> sunt. Principes manu suspenderunt; facies senum non erubuerunt. Adolescentibus impudice abusi sunt, et pueri in ligno corruerunt. Senes defecerunt de portis, et iuvenes de choro psallentium, et dixerunt: “Venite et disperdamus *Christianos*<sup>40</sup> de gente, et nomen *Christi*<sup>41</sup> non memoretur ultra”. Cogitaverunt unanimiter. Simul adversum Christum testamentum disposuerunt tabernacula *Idumaeorum* et *Ismahelitae*; *Moab* et *Agareni*; *Gebal* et *Ammon* cum habitantibus *Tirum*. Et enin *Assur* venit cum illis. Ecce quomodo percussit Dominus *Hispaniam*. **Tu autem, Domine, miserere nobis.**

**Responsorium.**

Congregati sunt inimici nostri et gloriantur in virtute sua.

Contere fortitudinem illorum, *Domine*, et disperge illos: ut cognoscant quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu, Deus noster.

**Versiculum.**

Disperge illos in virtute tua et destrue eos, protector noster, *Domine*, ut cognoscant quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu, Deus noster.

---

<sup>34</sup>xanorum.

<sup>35</sup>xanorum.

<sup>36</sup>tanquam.

<sup>37</sup>xanum.

<sup>38</sup>xi.

<sup>39</sup>strupati.

<sup>40</sup>xanos.

<sup>41</sup>xi.

**Lectio. VI<sup>a</sup>.**

Sanavit autem eam ipse Dominus, renovando antiqua miracula. Ipse enim praeter hominum spem elegit<sup>42</sup> sibi ex milibus<sup>43</sup> hos principes serenissimos, et fecit et invenit eos iuxta<sup>44</sup> cor suum. Ipse conciliavit eis animos universorum regnicolarum, magnorum et pusillorum, ita ut congregarentur quasi vir unus in hac expeditione ad imperium eorum. Et cum<sup>45</sup> non haberent nec obolum ad inchoandum prosequendumque tam arduum tamque supra vires eorum negotium<sup>46</sup>, ipse Deus mirabili modo tribuit eis omnia necessaria abundanter<sup>47</sup> quae petierunt aut intellexerunt: de quibus si per singula diceremus, re vera deficeret nobis tempus. Satis sit quod is qui vidit, testimonium perhibet de his. Et est profecto verum testimonium eius. Cognoverunt autem optimi principes quia manus Domini, et non sua, faceret haec omnia. Et propterea semper et in omnibus prospere succedentibus, dicebant: “Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nos enim servi inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus; et te adiuvante facimus. Et utinam bene illud fecerimus et faciamus”. **Tu autem, Domine, miserere nobis.**

**Responsorium.**

Tua est potentia<sup>48</sup>, tuum regnum, Domine; tu es super omnes gentes.  
Da pacem, Domine<sup>49</sup>, in diebus nostris.

**Versiculum.**

Creator omnium, Deus terribilis et fortis, iustus et misericors.  
Da pacem, Domine, in diebus nostris.  
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.  
Da pacem, Domine, in diebus nostris.

**In III<sup>o</sup> Nocturno.**

**Antiphona.** Laetentur caeli et exsultet terra ante faciem Domini quoniam vindicavit<sup>50</sup> sibi hodie sedem istam.

---

<sup>42</sup>ellegit.

<sup>43</sup>millibus.

<sup>44</sup>iusta.

<sup>45</sup>quum.

<sup>46</sup>negocium.

<sup>47</sup>habundanter.

<sup>48</sup>potencia.

<sup>49</sup>domini.

<sup>50</sup>vindicavit.

**Psalmus. [XCV]**

Cantate. I<sup>o</sup>: Cantate Domino canticum novum; cantate Domino omnis terra.  
Cantate Domino, benedicite nomini eius, adnuntiate diem de die salutare eius.

**Antiphona.**

Laetamini in Domino, Granatae cives, et confitemini memoriae deditiois eius.

**Psalmus. [XCVIII]**

Dominus regnavit exultet terra; laetentur insulae multae.  
Nubes et caligo in circuitu eius; iustitia et iudicium correctio sedis eius.

**Antiphona.**

Psallamus Domino in hac die in cithara et voce psalmi quia viderunt salutare Dei *nostri* omnes fines Hispaniae.

**Psalmus. [XCVII]**

Cantate. II<sup>o</sup>: Cantate Domino canticum novum quoniam mirabilia fecit.  
Salvavit sibi dextera eius et brachium sanctum eius.

**Versiculum.**

Benedicat nos Deus, Deus noster. Benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.

**Lectio VII<sup>a</sup>.**

Gaudeamus ergo et exultemus<sup>51</sup> in hac die. *Laetemur* et iucundemur, quia hodie, sicut ait Daniel *Propheta*, consumata *est* iniquitas et finem accepit peccatum quod terram verterat in salsuginem, et hereditatem *nostram* ad alienos, et domos *nostras* ad extraneos. *Laetemur*, inquam, in hac die iuxta<sup>52</sup> Isaiam<sup>53</sup> prophetam, velut hi qui *laetantur* in messe, sicut exsultant victores<sup>54</sup>, capta *praeda*, quando dividunt spolia. Hodie enim iugum oneris *nostrae* terrae, virga umeri<sup>55</sup> *nostri* et sceptrum exactoris *nostri*, superata sunt sicut in die Madian. Frequentemus dies *Scenopegiae*<sup>56</sup> mensis Ianuarii, anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo factae. Bene enim faciemus si diem epularum et *laetitiae*<sup>57</sup> eam *habuerimus*, et si in *condensis*<sup>58</sup> usque ad cornu altaris *sollemnem* eam constituerimus. Nam hodie cessavit exactor, quievit *tributum*, contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium *caedentem* populos in indignatione.

---

<sup>51</sup>exultemus.

<sup>52</sup>iusta.

<sup>53</sup>Ysayam.

<sup>54</sup>vittores.

<sup>55</sup>umeri.

<sup>56</sup>scenophegie.

<sup>57</sup>leticie.

<sup>58</sup>dempsis.

**Responsorium.**

Benedicite Deum *caeli*, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

**Versiculum.**

Ipsium benedicite et cantate illi, et enarrate omnia mirabilia eius. Quia fecit *nobiscum misericordiam suam*.

**Lectio VIII<sup>a</sup>.**

Non taceamus die ac nocte laudare nomen Domini. Benedicamus Dominum in omni tempore. Semper sit laus eius in ore *nostro*. Abundet<sup>59</sup> vera laus Dei in nobis, *quae* tanto tempore defecit in his locis. Vera, inquam, laus et speciosa, de corde puro, de conscientia bona, de fide non ficta. Non enim est speciosa laus in ore peccatoris. Superabundet<sup>60</sup> iam gratia<sup>61</sup> ubi tanto tempore abundavit delictum. Faciat deinceps haec civitas uvas, *quae* hactenus fecit labruscas. Tribuat decetero Domino Deo suo vinum dignum ad potandum, labiisque et dentibus *illius* ad ruminandum, *quae* huc usque tribuit fel draconum. Nam uva Agarenorum, uva fellis et botrus amarissimus. Germinet iam herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum, faciens fructum iuxta<sup>62</sup> genus suum, *quae* hactenus germinavit spinas et tribulos.

**Responsorium.**

Cantemus iterum Domino in die ista **canticum vineae meri**.

**Versiculum.**

Visitavit enim *Dominus* in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem tortuosum.

**Canticum.**

*Cantemus iterum Domino in die ista canticum vineae meri.*

**Gloria.**

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

**Canticum.**

*Cantemus iterum Domino in die ista canticum vineae meri.*

**Lectio IX<sup>a</sup>.**

Et nos, fratres carissimi,<sup>63</sup> toto corde oremus Dominum Deum *nostrum* ut convertat ad se in fine *saeculorum* cunctum populum Agarenorum, ultra mare et ubicumque terrarum

---

<sup>59</sup>habundet.

<sup>60</sup>Superhabundet.

<sup>61</sup>gracia.

<sup>62</sup>iusta.

<sup>63</sup>charissimi.

caecutientium<sup>64</sup> et errantium, sicut iam convertit omnes habitantes in hoc regno. Et sicut Cretes et Arabes ad se convertit in exordio nascentis ecclesiae, adaperiat oculos eorum ut intelligant populum *Christianum*<sup>65</sup> non colere<sup>66</sup> tres deos, ut illi putant multum delusi, sed unum verum Deum: unum in substantia<sup>67</sup>, et trinum in personis; quem pater fidei *nostrae* Abraham summus (quem atiam illi se iactant habere patrem) coluit et adoravit. Tres enim vidit et unum adoravit. Intelligant etiam et videant *non esse impossibile nec absurdum, sed rationi et pietati valde consonum, quod Iesus*<sup>68</sup>, *Mariae Virginis filius secundum humanitatem, sit verus et consubstantialis*<sup>69</sup> *Dei filius secundum divinitatem. Deus et homo. Et mediator Dei et hominum. Homo Christus*<sup>70</sup> *Iesus*<sup>71</sup>, qui, ex perfecta charitate ac maxima pietate, mortuus est propter delicta *nostra* ex humanitate. Et surrexit propter iustificationem *nostram* ex sua divinitate. Et ascendit in caelum, ut etiam ipsi fateantur. Credant itaque recte quod credimus, et pie vivant ut vivimus, ut, factis nobiscum unus et verus Dei populus, propinent et omnes simul propinemus ipsi *Domino nostro Iesu*<sup>72</sup> *Christo*<sup>73</sup> vinum bonum quod servavit us *que* adhuc, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

### In laudibus.

#### **Antiphona.**

Firmavit hodie Dominus orbem terrae *Hispaniae* subiciens fidei catholicae Agarenorum decorem et fortitudinem.

#### **Psalmus. [XCII]**

Dominus regnavit; *decore indutus est; indutus est Dominus fortitudine et praecinxit se; etenim firmavit orbem terrae qui non commovebitur.*

#### **Antiphona.**

Iubilet iam Deo omnis terra *Hispaniarum*, et in laetitia<sup>74</sup> serviat *Domino*, quia segura intrat eius portas in confessione.

---

<sup>64</sup>cecucientium.

<sup>65</sup>xanum.

<sup>66</sup>collere.

<sup>67</sup>substantia.

<sup>68</sup>ihesus.

<sup>69</sup>consubstantialis.

<sup>70</sup>xpus.

<sup>71</sup>ihesus.

<sup>72</sup>ihu.

<sup>73</sup>x<sup>o</sup>.

<sup>74</sup>leticia.

**Psalmus. [IC]**

Iubilare *Domino* omnis terra; *servite Domino in laetitia;*  
*introite in conspectu eius in exultatione.*

**Antiphona.**

Rex Fernandus cum regina Elisabeth<sup>75</sup> laetentur in Deo qui fecit eos possidere terram Agarenorum *quam* tanto tempore sitivit anima, et tam multipliciter caro praedecessorum suorum.

**Psalmus [LXII]**

Deus, Deus meus, *ad te de luce vigilo; sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea!*

**Antiphona.** Iam haec terra benedicat Dominum benedictione vera; Trinum et Unum laudet, et superexaltet eum in saecula.

**Ps. [Canticum trium puerorum Libri Danielis Prophetae]**

Benedicite, *omnia opera Domini, Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.*  
*Benedicite, angeli Domini, Domino: benedicite, caeli, Domino.*

**Antiphona.**

Reges et principes et omnes populi Hispaniarum, laudate nomen Domini qui, per manus coniugum *Christianissimorum*,<sup>76</sup> alligavit in compedibus reges Agarenorum, et in manicis ferreis principes eorum.

**Psalmus. [148]**

Laudate Dominum de caelis. Laudate eum in excelsis.  
Laudate eum omnes angeli eius. Laudate eum omnes virtutes eius.

**Capitulum.** Lauda, sterilis, *quae non paris; decanta laudem et hinni, quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habebat virum, dicit Dominus. Deo gratias.*

**Hymnus.**

Verbum supernum, dimicans  
Fernandi regis dextera,  
Granatae regnum vindicat<sup>77</sup>,  
vergente mundi vespera,  
in quo iam hodie extollitur  
maxima Verbi dignitas;  
cum corde et ore colitur<sup>78</sup>  
vera eius Divinitas  
quam saepe negat Mahumet,

---

<sup>75</sup>Helisabet.

<sup>76</sup>xanissimorum.

<sup>77</sup>vendicat.

<sup>78</sup>collitur.

arrianus stultissimus;  
 fatetur tamen ipsemet  
 quod Iesus<sup>79</sup> fuit sanctissimus  
 Non capit ille insipiens  
 quod, Dei omnipotentia,  
 sit, hominem suscipiens,  
 salva utriusque essentia<sup>80</sup>.  
 Laus Deo Patri et Filio,  
 una cum Sancto Flamine,  
 quo Verbum caro factum est  
 ex illibata Virgine.  
 Amen.

***Versiculum.***

*Spiritus Sanctus in te descendet, Maria.*

***Responsorium.***

*Habebis in utero Filium Dei.*

***Ad Benedictus. Antiphona.***

*Iam sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus Domino in sanctitate et iustitia<sup>81</sup> coram ipso in hac sacra sollempnitate et in omnibus diebus nostris.*

***Canticum.***

*Benedictus Dominus Deus Israel;  
 quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae;  
 et erexit cornu salutis nobis  
 in domo David pueri sui.  
 Sicut locutus est per os sanctorum,  
 qui a sæculo sunt, prophetarum eius:  
 Salutem ex inimicis nostris,  
 et de manu omnium qui oderunt nos,  
 ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,  
 et memorari testamenti sui sancti.  
 Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum,  
 daturum se nobis,  
 ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati,  
 serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso,  
 omnibus diebus nostris.  
 Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis;  
 præibis enim ante faciem Domini parare vias eius:  
 ad dandam scientiam salutis plebi eius  
 in remissionem peccatorum eorum,*

---

<sup>79</sup>. ihesus.

<sup>80</sup> essentia.

<sup>81</sup>. iusticia.



*per viscera misericordiae Dei nostri,  
in quibus visitabit nos, oriens ex alto,  
illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent,  
ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

**Oratio.**

Omnipotens, sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis per fidem regna vincere et munitiones superare, da nobis, *quaesumus*, te semper fide colere, et *quae* fidei sunt per dilectionem operari. Per *Dominum nostrum Iesum Christum*.

**Ad Tertiam.**<sup>82</sup>

**Capitulum.**

*Laetare, sterilis, quae non paris; decanta laudem et hinni, quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habebat virum, dicit Dominus.*

**Responsorium.**

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

**Versiculum.**

Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

*Cum Sancto Spiritu.*

**Versiculum.**

*Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.*

*Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum.*

**Responsorium**

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

**Versiculum.**

Exaltare, Domine, in virtute tua.

**Responsorium.**

Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

**Oratio.**

Omnipotens, sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis per fidem regna vincere et munitiones superare, da nobis, *quaesumus*, te semper fide colere, et *quae* fidei sunt per dilectionem operari. Per *Dominum nostrum Iesum Christum*.

**Ad VI<sup>a</sup> (Ad Sextam)**

**Capitulum.** Non te pudebit nec erubescas quia confusionis adolescentiae<sup>83</sup> tuae oblivisceris, et obprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius, *quia* dominabitur tui qui fecit te.

---

<sup>82</sup>terciam.

<sup>83</sup>adolescencie.

**Responsorium breve.**

Exaltare, Domine, in virtute tua.

**Versiculum.**

Cantabimus et psallemus virtutes tuas. In virtute tua.

**Versiculum.**

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

*Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum.*

**Versiculum.**

Benedicat nos Deus, Deus noster. Benedicat nos Deus.

**Responsorium.**

Et metuant eum omnes fines terrae.

**Oratio.**

Omnipotens, sempiterna Deus, qui dedisti famulis tuis per fidem regna vincere et munitiones superare, da nobis, *quaesumus*, te semper fide colere, et *quae* fidei sunt per dilectionem operari. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

**Ad IX<sup>a</sup> (Ad Nonam)****Capitulum.**

Dominus exercituum nomen eius, et redemptor tuus sanctus Israel; Deus omnis terrae vocabitur, *quia* haec est hereditas servorum Domini, et iustitia<sup>84</sup> eorum apud me, dicit Dominus.

**Responsorium breve.**

Benedicat nos Deus, Deus noster. Benedicat nos Deus.

**Versiculum.**

Et metuant eum omnes fines terrae. Benedicat.

**Versiculum.**

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

*Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum.*

**Responsorium.**

Benedicat nos Deus, Deus noster. Benedicat nos Deus.

**Versiculum.**

*Spiritus Sanctus* in te descendet, Maria.

**Responsorium.**

Ne timeas; habebis in utero Filium Dei.

**Oratio.**

Omnipotens, sempiterna Deus, qui dedisti famulis tuis per fidem regna vincere et munitiones superare, da nobis, *quaesumus*, te semper fide colere, et *quae* fidei sunt per dilectionem operari. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

---

<sup>84</sup>. iusticia.

### In secundis vesperis.

(Omnia dicuntur sicut in primis, praeter *antiphonam*, quae sequitur quintam et *psalmum*).

#### *Antiphona.*

Lauda, *Hispania*, Dominum; lauda Deum tuum, *Hesperia*, qui posuit hodie fines tuos pacem, et confortavit seras portarum tuarum.

#### **Psalmus.** [CXLVII]

Lauda, Hierusalem, Dominum; lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum; benedixit filiis tuis in te.

#### **Ad Magnificat.** *Antiphona.*

Fecit potentiam Dominus in bracchio suo, deposuit hodie potentes de sede, et exaltavit humiles, recordatus misericordiae suae.

#### **Oratio.**

*Omnipotens*, sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis per fidem regna vincere et munitiones superare, da nobis, *quaesumus*, te semper fide colere, et quae fidei sunt per dilectionem operari. Per *Dominum nostrum Iesum Christum*.

### Ad Missam introitus.

Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore deditionis *Granatae*, de cuius deditione gaudent angeli et collaudant Filium Dei.

#### *Versiculum.*

Gaudent angeli et exsultant archangeli, laetantur iusti et congratulantur omnes sancti.

#### *Versiculum.*

*Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.*

*Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum.*

#### **Oratio.**

*Omnipotens*, sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis per fidem regna vincere et munitiones superare, da nobis, *quaesumus*, te semper fide colere<sup>85</sup>, et quae fidei sunt per dilectionem<sup>86</sup> operari. Per *Dominum nostrum Iesum Christum*<sup>87</sup>.

---

<sup>85</sup> collere.

<sup>86</sup> dillectionem.

<sup>87</sup> x.

**Lectio Isaiae<sup>88</sup> prophetae. (LIV<sup>o</sup>)**

**Capitulum.** Lauda, sterilis, quae non paris; decanta laudem et hinni<sup>89</sup>, quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habebat virum, dicit *Dominus*. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas. Longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes hereditabit et civitates desertas inhabitabit. Noli timere quia non confunderis nec erubesces. Non enim te pudebit quia confusionis adulescentiae tuae oblivisceris et obprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius, quia dominabitur tui qui fecit te. *Dominus* exercituum nomen eius, et redemptor tuus Sanctus Israel. *Dominus* omnis terrae vocabitur.

**Responsorium.**

Haec dies quam fecit *Dominus*: exsultemus et laetemur in ea.

**Versiculum.**

A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis<sup>90</sup> nostris. *Alleluia*.

**Versiculum.**

Dies nobis sanctificatus illuxit; venite, populi Hispaniarum. Adorate *Dominum*, quia hodie descendit lux magna super terram.

**Secundum Lucam. X Capitulum.**

In illo tempore dixit *Dominus* Iesus:<sup>91</sup> “Confiteor tibi, Domine Pater caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis”. Et, conversus ad discipulos suos, dixit: “beati oculi qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis quia multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt.”

**Ofertorium.**

Laetamini in Domino et exsultate iusti; et gloriamini omnes recti corde. *Alleluia*.

**Secreta.**<sup>92</sup> Munera nostra quaesumus, Domine, propitius<sup>93</sup> recipe, et urbem Granatam, quam iugo fidei tuae misericorditer remisisti, sub tua semper protectione custodi. *Per Dominum nostrum Iesum Christum*.

---

<sup>88</sup>Ysaie.

<sup>89</sup>himni.

<sup>90</sup>oculis.

<sup>91</sup>Ihus.

<sup>92</sup>Sacra.

<sup>93</sup>propitius.

**Communio.**

Viderunt *omnes* fines terrae salutare Dei nostri.

**Post Communionem.**

Quaesumus, *omnipotens* Deus, ut urbem Granatam quam in *Christianissimorum* principum manus hodierna die misericorditer tradidisti, de perceptis muneribus tibi *gratias* referentem in tua semper fide conserves. *Per Dominum nostrum Iesum Christum.*

.....

**EN LA FIESTA DE LA ENTREGA DE LA FAMOSÍSIMA  
CIUDAD DE GRANADA.**

**Vísperas.**

***Antífona.***

Solemnecemos el día en que Dios, Padre Omnipotente, puso a los mayores enemigos de su Hijo como escabel de sus pies.

***Salmo. [109]***

Dijo el Señor *a mi Señor: siéntate a mi derecha,*  
*en tanto que pongo a tus enemigos como escabel de tus pies.*

***Antífona.***

Exaltemos al Señor y glorifiquemos sus obras, que en este sagrado día ha dado a su pueblo la herencia de los gentiles, y conseguido la redención de muchos cautivos.

***Salmo. [110]***

Te alabaré, *Señor, con todo mi corazón, en el consejo de los justos y en la asamblea.*  
*Grandes son las obras del Señor, alcanzadas conforme a todos sus deseos.*

***Antífona.***

De eterna memoria serán el rey Fernando y la reina Isabel, pues por su esfuerzo y trabajo el Señor ha entregado hoy al pueblo cristiano la gloria y las riquezas de los agarenos.

***Salmo. [111].***

Dichoso el varón *que teme al Señor: ansiará permanecer en sus mandamientos.*  
*Su descendencia será poderosa sobre la tierra: la generación de los justos será bendecida.*

***Antífona.***

Desde la salida hasta la puesta del sol sea alabado el nombre del Señor, que a Granada, que era estéril en obras de la fe, la ha convertido en madre gozosa de muchas iglesias.

***Salmo. [112].***

